

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Deus n
cum fontibus primis

Ponamus ante oculos
que sit illa Dei natura que tenet omnia,
implet omnia, complectitur omnia,
superexcedit omnia, sustinet omnia.
Nequaquam autem Deus ex una parte sustinet
atque alia superexcedit,
neque ex alia parte implet
atque ex alia parte circumpleteatur,
sed circumpleteendo implet,
implendo circumpleteatur,
sustinendo superexcedit,
superexcedendo sustinet;

Ponamus ergo ante oculos mentis
quae illa natura sit quae tenet omnia,
implet omnia, circumpleteatur omnia,
superexcedit omnia, sustinet omnia.
Nec alia ex parte sustinet
atque alia superexcedit,
neque alia ex parte implet
atque alia circumpleteatur,
sed circumpleteendo implet,
implendo circumpleteatur,
sustinendo superexcedit,
superexcedendo sustinet.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechiel prophetam*, 1.8.16 (CCSL 142, M. Adriaen ed., p.109, ll.308-314).

sine inquietudine superius regens,
sine latitudine inferius sustinens;
interius sine extenuacione penetrans,
exterius sine extensione circumdans.
Est itaque inferior et superior sine loco,
est amplius sine latitudine,
est subtilis sine extenuacione;

et qui per molem corporis nusquam est,
per incircumscrip^tam substanciam suam nusquam deest.

Gregorius super Ezechiel ibidem
(in omelia VIII.).

Sed unus idemque totus
ubique praesidendo sustinens,
sustinendo praesidens,
circumdando penetrans, penetrando circumdans;
unde superius praesidens inde inferius sustinens;
et unde exterius ambiens inde interius replens;
sine inquietudine superius regens
sine labore inferius sustinens;
interius sine extenuacione penetrans
exterius sine extensione circumdans.
Est itaque inferior et superior sine loco;
est amplius sine latitudine;
est subtilis sine extenuacione.
Quo igitur exitur ab eo
qui dum per molem corporis nusquam est,
per incircumscrip^tam substanciam nusquam deest?

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 2.12
(CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.72-3, ll.22-33).